

26
SALUTATIO, 26

Quâ

Reverendissimus ac Celsissimus

PRINCEPS

HANNIBAL

ALBANI

REFERENDARIUS

utriusque Signaturæ,

PRÆSES REVER. CAMERÆ APOSTOLICÆ,

Prælati Domestici, & Nepos Sanctissimi D. N.

PP. CLEMENTIS XI, & Nuntius

Extraordinarius

Anno 1711. die 31. Julii Colonia Agrippinæ

in Collegio PP. Societatis JESU

exceptus fuit,



Typis Francisci Caspari ALDENKIRCHEN, in Platea S. Gereonis.

Locus erat Triclinium Collegii, cujus altera pars media Tapetibus ornata; altera Scenis variis in modum Theatri erat disposita; facies effigiem Sanctissimi exhibebat. Initium faciebat ex PP. unus, ut sequitur:

- - - - - Ocius omnes (a) (a) *Apostrophe ad Collegas.*
Præcipitate moras Socii! quid statis inertes?

ANNIBAL stat ante portas. Verùm non animum timor panicus exanimet, sed inopinum gaudium exhilaret. Qui enim ante portas stat ANNIBAL, non est *sago formidabilis hostis*, sed *toga venerabilis Amicus*; neque *militaribus copiis stipatur*, ut *terreat*, sed *integro virtutum exercitu comitatur*, ut *recreet*: ab Annibale *nihil habens terrificum*, præter *nomen*; etiam hujus *asperitatem morum suavitate emollit*,

Paciferaeque manu ramum prætendit Olive.

Novit, quòd *morosi mores non pariant amores*, sed *amor*; & ideo quàm *carus est in omnes*, tam est *omnibus carus*. Qui *genus*, unde *domo* quæritis? accipite. ALBANUM est nomen, de quo vaticinatus olim videtur Anchises, quando apud Maronem dixit:

Unde Genus LONGA nostrum dominabitur ALBA. (b)

Hujus Generis *Celsitudinem Gentilitiis* Ejus *MONTIBUS* metire; *claritudinem* in *Domesticâ STELLA* intueri: & Hanc & Illos Annibalis *PATRUUS* virtute suâ in *tantam gloriæ sublimitatem* evexit, ut *calum ipsum transcendant*, solùmque *DEUM supra se* habeant. Jam dicat *Purpuratus Vates* de *Ecclesiâ Dei*: *Fundamenta ejus in MONTIBUS sanctis.* (c) Habent & illud proprium *ALBANI MONTES*, ut quamvis *tacti, non sumigent*: *Montes sunt magnetici*, etiam *ferreas*,
& *feras*

[b] *Aeneid. lib. 6.* (c) *Psalm. 86.*

& *feras mentes* ad se trahunt. Jam capio mysterium, quare
 JOANNES FRANCISCUS ALBANI & in festo *S. Clementis*
 in CHRISTI VICARIUM eligi debuerit, & ipse jam *San-*
ctissimus CLEMENTIS nomine vocari voluerit? Utroque scili-
 cet facto didicimus, sicut ad *Deum* in cælo, ità ad *Albanum*, ejus
Vicarium in terrâ semper aditum patere: Cùmque ALBANI
 principalem virtutem *Clementiam* jure quodam hereditario acce-
 perint, debebat hæc Albanorum *Clementia* etiam *Clementis* no-
 mine significari. Et illud sibi uni vindicat ALBANUM SIDUS,
 quòd lumen suum *non mutuetur ab alio*; sed proprio splendore *co-*
ruscet. Nemo bene serenus est *alienâ claritate*; hæc vera serenitas
 est, esse *clarum de suo*. Neque hoc SIDUS *stella* est *erratica*;
 nam constat ubique sibi, & à tramite virtutis nunquam aberrat.
 A Patre HORATIO noster ANNIBAL cum gloriâ sangui-
 nis eas naturæ dotes accepit, ut jam tum in *Vere ætatis sapien-*
tia Autumnum exhibuerit. Nimirum *aliis præcurrunt anni*;
 ALBANOS sequuntur: Hi ætatem *maturitate judicii antecedunt*.
 Educatus in palæstra *literarum & virtutis*, in utroque studio bre-
 vi eos progressus fecit, ut, cùm *Discipulus disceret*, *Magister* alios
doceret, *seque ipsum profectu superaret*. Illud mirandum est, quòd,
 cùm *pluribus linguis* loquatur, tamen *bilinguis* non sit. Vultis
 causam scire? *duplici corde* non est. (d) Testatur ista *Gregoriana Sa-*
pientiæ stadium, Collegium Romanum, quod annis omnino no-
 vem *palmari* semper *ingenio* ità *decurrit*, ut *nemini* unquam *secun-*
dus, *primas* semper *omnibus* præripuerit. Testatur hæc eadem
 Caput orbis Roma, quæ post defensas summo omnium plausu &
 applausu *Thefes Theologicas inauguratum Doctorem* huic simili elo-
 gio commendari audivit: dignum esse ANNIBALEM, Cui

 (d) *Eccles. c. 2. Va duplici corde,*

PETRUS, si *Claves* liceret *dividere*, alterutram posset committere, Illius *capax ingenium*, *acre iudicium*, *maturum consilium*, *eruditam prudentiam*, *affabilem comitatem*, *integritatem utriusque fori experta est*, & suspexit Vienna in Austria, venerata est Dresda in Saxoniâ, stupuit Praga in Boemiâ, ubi successu felici tractavit negotia Regum, & regnorum *LEGATUS APOSTOLICUS Extraordinarius*. Quare *ingredere*, Reverendisime, ac Celsissime Princeps, Legate Summæ Sedis Extraordinarie, meritisime, dignissime! *ingredere!* cur stas ante portas? *ingredere!* *patent Illustrissimæ Celsitudini Tuæ fores*, etiam *animorum nostrorum*, qui, si perinde ac vultus forent conspicui, videres profectò, *Imaginem Tuâ* in nostris cordibus confidere: Nam Tuæ virtuti non impar animus, cuius *candor per indicia corporis ostenditur*, perque *niveum ALBANI nomen exprimitur*, suo merito à nobis obtinuit, ut non magis hodie *per animas nostras*, quàm *per Tuâ presentia festivitatem* animaremur. *Occupa* igitur, si placet, hoc animorum nostrorum *regnum*, Celsissime Princeps, in eoque dominare; & patere, ut hanc salutandi *TUI* alacritatem, quam legis in conatibus nostris, tanquam vadem animorum nostrorum in Tuas manus consignemus. Votorum, quibus *TE* prosequimur, Illidem hoc verbo complectimur: *Vive seculum*, Celsissime Princeps, & nos *seculum aureum* vivemus. Tu verò fias aliquando *eminentior aliis*, *major TE ipso*: hoc est, *Annibale major* fias *CLEMENS*, & *Albano major DUODECIMUS*; maneásque semper *Societatis minima PATRONUS MAXIMUS*.

Nunc prodi, Juventus Studiosa, & Tuo Apollini debitum observantia tributum persolve.

Mox ex sine Scenarum inter clangores tubarum ac tympanorum prodibant *Perrillustres*, *Prænobiles*, ac *Lectissimi Adolescentes Rhetores*, quorum aliqui Scholastica labara præferabant, alii *Celsissimo Principi* acclamabant versu sequenti:

Pri

- Primus.* Illustri Heres Nominis *ANNIBAL*,
 Illustriori sanguine nobilis,
 Et Stirpis Albanæ, Domúsque
 Grande decus, patriæque lumen.
- Secundus.* *LEGATE* Sedis, Cui pede supplici
 Se curvat orbis, quódque subest polo,
 Te nostra prono Musa vultu,
 Et famulo veneratur ore.
- Tertius.* Quot vere primo germina pascuis
 Crescunt in agris, tot fociis ave
 Votis precamur; tot paratis
 Obsequiis ferimus salutes.
- Quartus.* Quales decoro noctivagæ faces
 Cælo coruscant, quando micantibus
 Invecta bigis Luna tedas
 Stelligerum jacit in theatrum:
 Talis supremis ignibus æmulus,
ALBANE, puro lumine fulguras;
 Virtúsque, Natalisque sanguis
 Sidereo radiant honore.
- Quintus.* Quando sepultis, æquore fervido,
 Phœbi quadrigis, nubila convolant,
 Dièque proscripto, tenebræ
 In medio dominantur orbe:
 Silent molesto pennigeri greges,
 Mœrore victi, brutaque cum feris
 Exosa deformes tenebras
 Luctificum repetunt cubile,
 At dum beati prodroma luminis
 Aurora, puro nunciat æthere

Venire solem , jámque claros
Æquoreo tulit è profundo
Vultus Apollo , mox tetricæ procul
Fugantur umbræ , nubila diffluunt,
Tersóque Vulturis olympo
Solicitus recreatur orbis.

Sextus.

Sic Tu decoro lumine fulgidus,
Intaminatis clarus honoribus,
Dum nocte pulsâ gratiosum
Infinuas sinè nube vultum,
Cedunt, protervis in mare Thracicum
Portanda ventis , tristitia & metus :
Prensísque curarum procellis ,
Flat tenui Zephyrus susurro.

Primus.

Quò ter colendos circumagis gradus,
Serena Tecum gratia commigrat :
Modesta Virtus, Suavitasque
Et placidi comitant lepôres.

Secundus.

Ergo coronâ triplice nobiles [a]
Musæ, canoris plaudite vocibus ;
Hac luce Musarum palæstra
Conspicuo recreatur *ASTRO*.

(a) *Gymnasium PP.
Societatis Jesu
Colonia tres Co-
ronas pro insigni
habet.*

Tertius.

Ferte lyras, citharásque leves, lituósque tubásque
Et faciles digitis sollicitate fides.

*Tum inter sonitum Tubarum ex ultimâ parte Theatri prodibant totidem Musici,
Seminarii PP. Societatis Jesu ; quot Musæ sunt. Duo Discantista, & duo
Altista præibant his verbis :*

Legate summi *PRÆSULIS* , *Annibal*,
Et pervetusti gloria sanguinis,
Quas Tu mereris , ore grato
Mille Tibi canimus salutes.

Repe-

Repetebantur ista à pleno Choro cum instrumentis variis, Tubis, Tympanis &c. Cantum hunc excipiebat saltus: post quem nova fiebant Acclamations, ut sequitur:

Quartus. Hoc ominamur (consciis entheum
Implebit æther omen) amabile
Dum Sidus Albanum nitebit,
(Perpetuo radiabit ævo)
Nunquam Gradivus tristè fonantium
Perstringet aures murmure cornuum;
Bellona detestanda nunquam
Sanguineum quatiet flagellum.
Sed juncta Paci candida Faustitas,
Et alma cornu divite Copia
Inviset urbes, & feretur
Auriferis super arva bigis.

Quintus. Si fulfuratis ferveat ignibus
Accensus æther; fulmina si tonent,
Raucâque tempestate fetas
Excutiat fragor officinas;
Non pestilentem sentiet halitum
Ceres in agris; non quatiet fragor
Cæli, penates, sed quieto
Axe cadet sinè clade fulmen.

Sextus. Fecunda frugum plurima nutrit
Armenta tellus; dente nec invido
Eruca depascetur alma
Aut Cereris, Bromiive dona.
Nec luctuoso pestis anhelitu
Afflabit auras, pèrve cadaverum
Exercitus promiscuorum
Dira lues rapiet curules,

Cum

Cum prole vivent pancraticè Patres
Erit Juventæ cum Senibus bene:
Matrésque cernent ter beatos,
Et tetricâ finè nube soles.

Has Acclamations sequebatur Cantus, & Cantum Saltus. Verba Cantus, qua incipiebat Tenor solus, excipiebat plenus Chorus; prosequabatur Altus solus, finiebat Chorus cum Instrumentis omnibus, sunt ista:

Huc Musæ rursùm currite, Nam Ille mille laudibus
Et ore consonate: Est dignus honorari:
Annibali concinite; Concentibus & plausibus
Albanum prædicate. Meretur celebrari.

Salutationem hanc clauderat tertia Acclamatio his verbis:

Primus. Hæc vota grato jungimus omni:
Per lustra centum floreat Annibal;
Scientiâ, & virtute, Solis
Irradians geminum cubile.

Secundus. Et dum per orbem *Stella* suas faces
Albana grato lumine sparserit
Per sæcla mille, ferò fiat
Empyreo nova *Stella* cælo.

*Succedebat huic Acclamationi tertius Cantus, pleno Choro, & saltus:
Verba Cantus erant ista.*

Ter Celse Princeps, hoc prece supplici
Vovemus omnes: vive, vale diu,
Tuóque plaudentes honori
Lætifico recrea favore.

AUGURIUM AUTHORIS.

ANNIBAL ALBANI, qui Magni Nominis imple
Mensuram, exiguo tempore Major eris,
Nam via, quam Virtus ALBANIS monstrat, honorum,
Hæc brevis, & recta est: Ambitus omnis abest.